www.e-rara.ch

# Lilii Greg. Gyraldi Ferrariensis Operum quae extant omnium non minus Eruditae quam Elegantis literaturae Studiosis & expetitorum hactenus & deinceps expetendorum tomi duo

**Giraldi, Giglio Gregorio**

**Basileae, 1580**

**Universitätsbibliothek Basel**

Shelf Mark: DC III 3

Persistent Link: http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-342

Lilii Gregorii Gyraldi ad Cynthium Gyraldum, epistola de imitatione, bonae frugis refertissima

**www.e-rara.ch**
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

*Hac Marcus est Antonius*
*Antimachus vrna conditus,*
*Qui patriæ ac testudinis*
*Consors Maronis extitit,*
*Et Tullianæ lecythi.*
*Hunc Graia par facundia,*
*Seu carmen ille pangeret,*
*Seu pede soluta scriberet.*
*Sed ne putes hunc tantula*
*Vrna tegi, cuius volat*
*Virûm per ora gloria,*
*Quacunq; florent literæ*
*Bonæ, vigetq; humanitas.*
*I nunc viator collige*
*Virtute nil præstantius.*

## LILII GREGORII GYRALDI AD CYNTHIVM GYRALDVM,

### *EPISTOLA DE IMITATIONE, BONÆ frugis refertissima.*

AVDIERAM quidem antea istic Ferrariæ gentilem quẽdam meum ad optimas artes, bonásq; literas pleno gradu procedere: famã hanc nonnihil auxerat Fabius Antimachus, qui hic apud nos medicum agit, iuuenis raræ & spectatæ indolis. Nuper verò cum à Pico vocatus Manardus, non iam vt antea famam, sed certissimam quandam mihi tuæ & eruditionis & elegantiæ formam impressit, vt eum ego erga te amorem, ac beneuolentiam conceperim, vt miro ac incredibili tuarum literarum desiderio arderem. Sed bone Deus, quanta nunc mihi facta est amoris & charitatis accessio, cum cultam ad te Cœlij de imitatione commentationem, dignissimam illam quidem imitatione, mihi legendam transmisisti? Cœlij inquam illius, qui vnus hoc fermè tempore Varronis & Plinij eruditionem, cum M. Tullij eloquentia coniunxisse visus est, orbémq; illum disciplinarum, interiorúmq; ac reconditarum literarum clarissimè patefecisse, quem iure quidem ego à primis annis & colui semper, & suspexi, & me nonnihil ab eo fieri, in coronis gloriari soleo. Amorem ergo ac beneuolentiam erga te meam cumulatissimè auxit Cœliana commentatio. Sed quid dicam? quod fieri vix posse credidissem. Expectationem meam longe superauit tuarum epistolarum lectio, ex quibus planè percepi, eò te breuissimè peruenturum, nisi alia te forte studia impedierint, quò adhuc paucissimi peruenerunt, nedum sunt ausi aspirare. Perge, quæso, hoc gradu, mi Gyralde charissime: hanc tu assiduè incudem tunde: nec patiare, vt barbarorum hominum studia, te à tanto incepto deturbent. &, vt adhuc præstitisse videris, tu tibi consta, & qua cœpisti simul & eloquentiæ & sapientiæ via grassare. Hic me Gyralde contineo, ne te, qui per te sapis abunde, docere videar, & sus Mineruam: neue malignus aliquis, aut inuidus, vt sunt pleriq; omnes hac tempestate, putet me familiæ necessitudini & nomini adulari, blandiriq; magis quàm ex animo dicere. Cæterum quoniam ex tuis literis, te cupere vehementer video, quid de imitatione Cœliana Picus ipse sentiat, meis vt tibi literis significem, longior sim Gyralde, si cuncta velim hic tibi perscribere, quæ statim ille audita tua primum epistola, dein Cœliana commentatione, dixerit: vt est homo omnium facundissimus, cum aliquid ipse suis verbis declarandum aggreditur. In summa, in sua se ait persistere sententia, quã longiusculis duab. ad

Bembum

Bembum noſtrum epiſtolis pridem datis eſt executus: quas & te vidiſſe ex tuis literis facile colligo. Porrò quoniam & meam quoque ſententiam rogas, tametſi ex quo Romana me tempeſtas ſic fortunæ fluctibus obruit, vt nulla ſit amplius emergendi ſpes reliqua, amiſſis non modò amicis & opibus, ſed & corporis valetudine, totum me, vt nonnihil à procellis ſubleuer, lectionum varietati omnis generis auctorum addixi, quæ pro eorum oratione legentis ſtilum huc illuc in diuerſa rapiunt: nihilominus, ne non ex parte morem tibi geram, paucisſimis accipe, quod mihi nunc occurrit. De imitatione generatim, & in vniuerſum non ſatis rectè quenquam hoc tempore præcipere poſſe crediderim. Nam (vt mihi quidem videtur) bifariam imitatio ipſa eſt partienda. aut enim candidato, aut adulto præponitur: hoc eſt (vt planius loquar) aut rudi, & vix initiato, nec dum ſatis offirmato: aut erudito, & probè in literis verſato: (neq; enim cum tardis & conclamatis eſt ſanè nobis laborandum.) Ergo ſi rudes, & candidatos, dociles tamen, ad imitationem voces, multo optima mihi Bembi præceptio videtur. Idq́ue etiam eò vſque faciendum cenſeo, antequam quicquam aliud eruditionis & diſciplinarum attingant, donec non tantum animus imbutus ipſe, ſed eo etiam aures tritæ ita occalluerint, vt ferre nequeant, imò etiam aſpernentur, quicquid ſuæ fuerit diſſonum imitationi. Iam vero ſi doctos & eruditos ad imitationem prouocare velis, noſtri Pici, & Cœliana ſententia idonea magis videtur, ad eam præſtandam. Nam vtriuſque ratio ab eodem fine non valde declinare videtur, ſi modo vtramq; rectè perpendas. Tum illud quoq; diligenti cautione curandum eſt, ne quid inuita (quod aiunt) Minerua, & repugnante natura hominem, vt cæteris in rebus, ita in imitatione aggredi præcipias, quando diuerſæ vt facies, ita ſunt ſpecies, & imitationum ideæ: ſed ſuam quemq; iubeto naturam, & (vt dicitur) Genium ſequi. Nam ſi me diuinam illam Platonis amplitudinem, & Iſocratis myrothecia imitatione conſequi iubeas, fruſtra id cupias. humi enim (vt vides) ſerpens, vix ego queo floſculos colligere. Illud etiam non mediocri cauendum cura, ne dum imitatores eſſe cupimus, in vitium incurramus quod Græci ab inepta imitatione κακοζηλίας vocant: vel quod Lucianus cuidam Thucydidem imitanti obijcit. Atq; hæc pauca tibi ea ratione duntaxat ſint à me perſcripta, ne aſpernari videar, quam tantopere concupieram, oblatam mihi beneuolentiæ & neceſſitudinis noſtræ complectendæ occaſionem. Vale, & ſi me mutuo facere cupis, ama.

LILII GREG. GYRALDI OPERVM ALTERIVS TOMI,

FINIS.